

fieri & ad agnitionem veritatis venire. 2. Petr. 3, 9: *D E U S* non vult aliquos perire, sed *OMNES* ad pœnitentiam reverti.

Obiectio. 32. Inquis: Verbum *D E I* non ubiq; locorum vige-re: Unde igitur, si *D E U S* seriò vult, omnes homines salvos fieri, illa privatio?

Responsio. 33. Privationis illius culpa vel causa non in *D E U M* reiicienda: sed eius extra *D E U M* duplex datur: Una, hominum malitia, Actor. 13. v. 46. Altera, majorum ingratitudo, Nehem. 13. v. 18. Esai. 5 v. 5. Jerem. 7 v. 12. Am. 8. v. 11. Matth. 21. v. 43.

34. Conclusum itaq; esto: *Quia omnia voluntatis hu-jus fundamenta sunt universalia; & ipsam universalē esse.*

Absoluta & universalis voluntas distinguiuntur. 35. Ne autem hīc confundaris, in certamine potissimum Huberiano, distinguas inter *absolutam voluntatem, & universalem.* Ut enim *absoluta voluntas non semper est universalis;* sic neq; *universalis est semper absoluta.* Illa enim ad nullum & ordinem alligata: hæc verò certo ordine determinata esse potest.

36. Quocirca non hīc per *universalis terminum* tibi *absolutam imagineris,* sed eiusmodi voluntatem credas, quæ & *universalis sit, & ad certum simul ordinem,* quo propositū illud de salvatione generis humani circumscribitur, determinata. Hinc non simpliciter & indeterminatè dicit *D E U S*, Ezech. 33. v. 11: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut vivat:* Verùm addit determinationem, nempe *ut convertatur & vivat.* Sic in 1. Timoth. 2. v. 4: non *absolutè dicitur;* *D E U S non vult ullas perire, sed omnes salvare:* Verùm iterū determinatè, nempe *vult omnes ad pœnitentiam converti, & sic salvare.* Atq; haec tenus de voluntate *D E I* atecedente.

Voluntas Dei conse-quens. 37. De voluntate cōsequente sive particulari duo queq; sunt tenenda: Primum eius natura; deinde quomodo ab antecedente voluntate distinguatur. 38.